



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 81. Constitutio Pontificis contra Duellantes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](#)

positionis in eum pronunciavit, eamque <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 ubique promulgari jussit, ita quidem, ut <sup>A.C. 1509.</sup>  
 omnes Sacerdotes & Clerici per eundem  
 anathemate perculsum sedeque sua pul-  
 sum ordinati, rursum a legitimis Epis-  
 copis initiaarentur. Causa tamen ex-  
 communicationis, qna sibi gravem adeo  
 Græcorum schismaticorum indignatio-  
 nem accivit, haud alia erat, quam quod  
 se sacræ Romanæ Ecclesiæ subjecisset;  
 unde Arsenius, ut jura sua redintegra-  
 ret, Romanum adiit Pontificem, ac gra-  
 viter de Patriarcha questus, quampluri-  
 ma accusationum capita in Græcos con-  
 gessit, ea de re Julius Venetis, qui in  
 Morea sedem fixerant, datis literis in-  
 junxit, ut Græcos ad satisfactionem Me-  
 tropolitano reddendam inducerent; ve-  
 rum Veneti adeo male excipiebantur a  
 schismaticis, ut de ipsa quoque vita peri-  
 clitarentur.

## §. LXXXI.

*Constitutio Pontificis contra  
Duellantes.*

Prodiit hoc anno Julii II. Papæ Consti- <sup>Bullar. in</sup>  
 tutio die vigesima quarta Februarii <sup>Jul. II.</sup>  
 edita, qua anathemate, aliisque Ecclesiæ <sup>Const. 19.</sup>  
 poenis perstringit omnes, qui singulare  
 certamen ineunt, ac levissimis ex causis  
 inhumana sævitia ad mutuas cædes

G 5                    sese

Sæcul. XVI. sese provocant, ut alter alterius sanguine  
A.C. 1500. satietur.

## §. LXXXII.

*Pollicitatio Cæsar is Galliarum Regi  
adversus Venetos facta.*

Petr. de  
Angl. ep. 434

Interea continuo adhuc seruebant Principium dissensiones; singuli enim, cum metuerent, ne Ludovicus Galliarum Rex totam Italiam occuparet, vel palam vel clam eidem insidiabantur, illumque ex Italia propellere moliebantur, uno solo excepto Maximiliano Cæsare, qui, cum Gallorum ope pristina sua recuperasset dominia, Regi haud quaquam adversabatur.

Præterea Julius, cum nullam odii in Gallos exerendi occasionem prætermitteret, Venetis amicitiam, quæ Ludovicum inter & Cæsarem intercedebat, suspectam reddere omni studio nitebatur, prætendens, ambos in eorum potissimum ruinam conspirare, atque ejusmodi fovere consilia, quæ, si Galli prævalerent, Reipublicæ admodum noxia forent. Nec vana erat Pontificis suspicio; quippe Imperator Tarvisinæ, Vicentinæ, & Patavinæ urbis dominium Galliarum Regi addixerat, ea tamen lege, ut copiis in aciem eductis bellum Venetis inferret, eosque ex hisce tribus urbibus propulsaret;